

STATUTA

FACULTATIS SACRAE THEOLOGIAE

IN

CATHOLICA UNIVERSITATE

NOVIOMAGENSI









# STATUTA

FACULTATIS SACRAE THEOLOGIAE

IN

CATHOLICA UNIVERSITATE

NOVIOMAGENSI





# STATUTA

## FACULTATIS SACRAE THEOLOGIAE IN CATHOLICA UNIVERSITATE NOVIOMAGENSI

---

### TITULUS PRAEVIUS.

*Art. 1.* Catholica Universitas Noviomagensis constituitur a Societate S. Radbodi eo consilio, ut studia academica ad normas ab Ecclesia statutas promoveat. Huius Societatis regimen est apud coetum Episcoporum Neerlandiae una cum quibusdam e diversis Neerlandiae dioecesibus delegatis.

*Art. 2.* Universitas in praesentia constat tribus Facultatibus, scilicet Facultate theologica, philosophico-litteraria et iuridica. Postea etiam Facultatem disciplinarum mathematicarum et physicarum, et Facultatem medicam complectetur.

*Art. 3.* Universitas regitur a coetu Episcoporum una cum delegatis, qui art. 1<sup>o</sup> nominantur. Sub huius coetus auctoritate collegium Moderatorum curat, ut disciplinae rite tradantur. Rector Magnus, ab iis, qui Societati S. Radbodi praesunt, Senatu academico proponente, ex professoribus ordinariis senioribus, non aetate sed nominatione, quotannis electus, Universitatem moderatur, duobus assessoribus et Senatu academico assistentibus. Facultas theologica autem regitur a solo coetu Episcoporum.

*Art. 4.* Universitas constituitur ad legis civilis Neerlandiae praescripta; quapropter omnibus iuribus et privilegiis gaudet, quibus

Universitates publicae fruuntur. Nominatio professorum plane libera manet ; attamen si candidatus requisitis diplomatibus caret, confirmatione regia opus est. Consilium publicum ad id institutum inspiciendae Universitatis ius habet. De Facultate theologica autem id tantum praecipitur, ut tres saltem habeat professores et Societas S. Radbodi nominationes suas ad Ministrum Instructionis Publicae deferat.

*Art. 5.* Catholicae Universitatis Neerlandiae is perpetuus finis erit, ut iuvenibus in dicta regione optimae cuiusque disciplinae in gradu superiori addiscendae copia suppetat, catholicae veritatis praeunte lumine. In excolendis et promovendis scientiis veritatem a Deo revelatam agnoscit, eiusque depositum Ecclesiae Romano-Catholicae concreditum esse profitetur. Romanum Pontificem tamquam Catholicae Ecclesiae Supremum Moderatorem et Magistrum colit, eiusque Apostolicae Auctoritati, ceu tutissimae assequendae veritatis normae, pleno adhaeret obsequio.

*Art. 6.* In tota docendi ratione, ut non solum haeretica pravitas devitetur, sed ii quoque errores diligenter fugiantur qui ad illam plus minusve accedunt, impense curabit, servatis adamussim Constitutionibus, Decretis, mandatis Apostolicae Sedis.

*Art. 7.* Doctores disciplinis tradendis deligi poterunt non solum ex Seculari Clero, verum etiam ex quovis Regulari Ordine seu Religioso Instituto, quemadmodum et ex laicorum coetu. Verum Universitas ipsa nunquam cuiusvis Ordinis aut particularis Instituti auctoritati suberit.

*Art. 8.* Regulae generales, cum legis publicae postulatis congruentes, Statutis Catholicae Universitatis Noviomagensis Generalibus continentur. Facultas autem theologica propria sua statuta habet, quae omnia et singula recensentur.



## TITULUS I.

### *De normis generalibus Facultatis Theologicae.*

*Art. 9.* Facultas theologica canonice a Sede Apostolica erecta est. Ei ex eadem Sancta Sede ius competit, gradus academicos, qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, conferendi.

*Art. 10.* Facultatis theologiae finis est: auditores disciplinis, quae sacrae vel cum sacris connexae sunt, secundum doctrinam catholicam altius instituire; eos ad fontium cognitionem, ad investigationis laborisque scientifici usum atque ad magisterium exercendum instituire; denique iisdem disciplinis excolendis quam maxime consulere.

*Art. 11.* Ad Facultatis cursum ii tantum admittuntur qui, curriculo philosophico-theologico ad normam can. 1365 C.I.C. expleto, gradus academicos appetunt, vel qui tamquam simplices auditores disciplinis theologicis profundius incumbere volunt.

*Art. 12.* Praeter Angelicum S. Thomam, communem omnium Universitatum et Scholarum Catholicarum Protectorem, cuius doctrinam et principia sancte tenet, elegit S. Facultas in peculiarem patronum S. Petrum Canisium, quem civem suum esse Noviomagenses gaudent.

*Art. 13.* Ea omnia quae in praesentibus statutis non decernuntur, fieri oportet ad normam Constitutionis Apostolicae „Deus Scientiarum Dominus” eique adnexarum Ordinationum necnon Generalium Universitatis Statutorum.

## TITULUS II.

### *De Auctoritatibus et Officialibus Facultatis Theologicae.*

*Art. 14.* Facultas theologica regitur a solo coetu Episcoporum, qui sub S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus suprema moderatione plenam iurisdictionem habet in iis, quae ad

nominationem, promotionem, dimissionem et suspensionem professorum necnon ad disciplinae leges, ordinem studiorum atque doctrinam tradendam spectant.

*Art. 15.* Magnus Cancellarius, qui vices coetus Episcoporum gerit, et nomine S. Sedis rebus omnibus invigilat, quae ad regimen ac studia Facultatis theologicae pertinent ad normam art. 5 Ordinationum Const. Apostol. adnexarum, est Archi-Episcopus Ultraiecentensis pro tempore existens.

*Art. 16.* Sub Episcoporum auctoritate negotia perpetua disponuntur ab ipsis Facultatis professoribus in conventu convocatis.

*Art. 17.* Decanus est, qui ex professoribus ordinariis est senior, non aetate, sed nominatione. Munere fungitur per triennium. Vigilanter custodit doctrinam in Facultate theologica tradendam atque quae ab Auctoritatibus superioribus statuuntur in Facultate exsequenda curat.

Juxta formulam a Sancta Sede approbatam ad normam art. 23 horum Statutorum accipit professionem fidei omnium professorum Facultatis, itemque eorum, qui, examine superato, academicis gradibus donandi sunt. Decanus conventus Facultatis, qui ex professoribus ordinariis et extraordinariis constituitur, bis saltem in anno convocatur et ipsis praeesit. De iure praeesit examinibus, quibus Auctoritates maiores non praesident. Quotannis ad S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus summaria ad rem *statisticam* pertinentia mittit.

*Art. 18.* Secretarius Facultatis est iunior nominatione e professoribus ordinariis. Munere fungitur per triennium.

### TITULUS III.

#### *De Professoribus Facultatis Theologicae.*

*Art. 19.* Professores et Doctores Facultatis theologicae secundum triplicem ordinem distinguuntur, scilicet : Professores ordinarii,

Professores extraordinarii et Lectores. Octo saltem debent esse professores ordinarii.

*Art. 20.* Nominatio, promotio, dimissio et suspensio Professorum aliorumque Facultatis theologiae Doctorum penes solos Episcopos est. Quoties cathedram aliquam vacare contigerit, coetus Episcoporum, audita Facultate et Moderatorum Collegio sententiam Facultatis proponente, eligit Doctorem, quem digniorem in Domino iudicaverit, juxta praescripta art. 21 Constit. Apostol.

*Art. 21.* Ordinibus Regularium conceditur ius commendandi Facultati candidatos, quin Facultas hac commendatione teneatur, quoties cathedram vacare contigerit, quae tempore Universitatis conditae professori regulari eorumdem respective Ordinum concessa fuerit.

*Art. 22.* Ut quis in Professorum collegium legitime cooptetur requiritur, ut missionem canonicam docendi, post impetratum Nihil obstat S. Sedis, a Magno Cancellario acceperit.

*Art. 23.* Qui munus docendi in Facultate theologica adeunt, professionem fidei coram decano Facultatis emittere tenentur secundum formulam a S. Sede approbatam, ad normam can. 1406, par. 1, n. 8 C. I. C. et Decreti Supremae S. Congregationis S. Officii d.d. 22 Martii, 1918.

*Art. 24.* Professores de iure officio suo fungantur usque ad annum 70<sup>um</sup> expletum. In fine autem anni scholastici, in quo 70<sup>um</sup> annum expleverunt, dimissionem petere debent.

*Art. 25.* Professores ordinarii pleno ac firmo iure in Professorum collegium cooptantur, voce activa et passiva fruuntur in Senatu academico et Facultatis conventu, et ad officium Rectoris Magnifici ac Decani promoveri possunt.

Professores extraordinarii in Professorum collegium cooptantur et in Facultatis conventu voce activa et passiva fruuntur ; in Senatu

academico autem vocem consultivam tantum habent et ad officium Rectoris ac Decani promoveri nequeunt.

Lectores, qui ad peculiare quaedam disciplinas tradendas assumuntur, in Professorum collegium non cooptantur; ad examina academica autem convocari et in iis suffragium ferre possunt.

*Art. 26.* Professoribus non licet onera vel officia obire, quibus a munere docendi rite implendo impediuntur.

*Art. 27.* Si quis Professor vel doctrinam catholicam laeserit vel a vitae integritate defecerit, pro gravitate culpa a Magno Cancellario punietur et, si res ferat, missione canonica docendi pro tempore vel pro semper privabitur.

#### TITULUS IV.

##### *De Auditoribus Facultatis Theologicae.*

*Art. 28.* Auditores Facultatis theologiae dividuntur in eos qui ad gradus academicos contendunt et eos qui ad gradus academicos non contendunt. Ut quis in Facultatem theologicam ascribi et ad gradus academicos contendere possit, debet afferre:

1. Authentica testimonia ex quibus apparet eum, studiis mediis classicis rite peractis, saltem per biennium universae Philosophiae scholasticae et per quadriennium universae Theologiae in Seminario vel Collegio ecclesiastico studuisse et praescripta examina superasse.

2. Litteras commendaticias aut testimoniales Praelati sui Ordinarii.

*Art. 29.* Si quis quadriennio praedicto completo, ab alia Facultate theologica a Sancta Sede approbata ad Facultatem Noviomagensem transire intendit, initio tantum anni scholastici inscribi potest.

*Art. 30.* Facultatis theologiae auditores, qui quacumque de

causa ad gradus academicos non contendunt, admitti possunt ad omnes scholas frequentandas, modo litteras commendaticias aut testimoniales exhibeant de quibus sub art. 28, 2 horum statutorum ; ad disputationes et exercitationes vero de licentia tantum Professoris.

*Art. 31.* Auditores ad breve tempus ut simplices hospites cum consensu Professorum ad praelectiones admitti possunt.

*Art. 32.* Auditor clericus Facultatis theologiae, qui aliqua ratione deliquerit, a Facultatis Decano admoneatur aut reprehendatur et, in casibus gravioribus, meritis poenis a Decano puniatur aut tandem a Magno Cancellario ab Universitate excludatur.

Ceteri in hisce subjiciantur regulis generalibus.

## TITULUS V.

### *De Ratione Studiorum Facultatis Theologiae.*

*Art. 33.* Disciplinae tradendae dividuntur in principales, auxiliares et speciales, scilicet :

1. *Disciplinae principales* : theologia fundamentalis, theologia dogmatica, theologia moralis, Scriptura sacra Veteris et Novi Testamenti (introductio et exegesis), patrologia, institutiones Juris Canonici, historia ecclesiastica, archaeologia christiana.

2. *Disciplinae auxiliares* : lingua hebraïca et graeco-biblica, liturgia, theologia ascetica-mystica, quaestiones theologiae ad Orientales maxime spectantes.

3. *Disciplinae speciales* : archaeologia biblica, historia vitae et cultus Israëliitarum, historia religionum, philosophia religionis, historia theologiae, historia dogmatum, introductio ad historiam ecclesiasticam, missiologia, historia missionum, jus missionarium, jus canonicum orientale, linguae semiticae, psychologia empirica, psychologia religionis, palaeographia-diplomatica, historia mysticae.

*Art. 34.* Usque ad adeptionem licentiae auditoribus ad gradus

contententibus praescribitur cyclus praelectionum omnibus communis et cyclus praelectionum et exercitationum specialis, secundum quod auditores unam vel aliam disciplinam ut principaliorem eligunt.

Cyclus communis et cycli speciales in appendice proponuntur.

In initio anni academici auditores Sacrae Facultati theologiae subjiciant cyclum specialem praelectionum et exercitationum, quem elegerint.

*Art. 35.* Post licentiae adeptionem auditores Sacrae Facultati theologiae subjiciant :

a) in initio anni academici elenchum praelectionum et exercitationum saltem novem horas complectentem, secundum exempla in appendice proposita.

b) in decursu anni academici argumentum dissertationis conscribendae, ex aliqua disciplina in Sacra Facultate theologica tradita depromptum.

*Art. 36.* Disputationes et exercitationes practicae habentur sub ductu professoris, habita ratione cycli specialis ab auditoribus selecti.

## TITULUS VI.

### *De Gradibus academicis et Examinibus in Facultate Theologica.*

*Art. 37.* Facultati theologiae ius a Sede Apostolica conceditur, gradus academicos Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus in Sacra Theologia nomine Summi Pontificis regnantis et, Sede vacante, nomine Sanctae Sedis conferendi. Huius autem Apostolicae delegationis et collationis in nomine Summi Pontificis vel Sanctae Sedis semper expressa mentio facienda est, tum in ipsis gradibus conferendis, tum in diplomatibus quae ad eorum collationem testandam expediuntur.

*Art. 38.* Facultas theologia Doctoratum *ad honorem* in S. Theologia conferre nequit nisi ex peculiari concessione singulis

in casibus a S. Sede impetranda. Haec potestas tum tantum a S. Sede postulari poterit, cum Magnus Cancellarius et duae saltem partes Professorum Ordinariorum Facultatis theologiae in id consenserint.

*Art. 39.* Graduum academicorum, qui in aliis Facultatibus canonice erectis acquisiti sunt, ita ratio habenda est, ut ad acquirendum gradum superiorem numerus annorum a Sacra Facultate Noviomagensi praescriptus servetur. Si dispensatio pro numero annorum conceditur, quod ob gravissimas rationes tantum fieri potest, semper praescribendum est, ut studia et examina a Sacra Facultate suis auditoribus imposita et a candidato non peracta suppleantur.

*Art. 40.* Documenta authentica de collatis gradibus Baccalaureatus et Licentiae in S. Theologia a Decano et Secretario Facultatis theologiae subscribantur et sigillo Facultatis signentur. Documenta autem de collato gradu Doctoratus in S. Theologia a Magno Cancellario, Rectore Magnifico, Senatus Secretario et Facultatis theologiae Decano subscribantur et sigillo Universitatis signentur.

*Art. 41.* Qui gradibus theologicis donandi sunt, coram Facultatis Decano professionem fidei emittant secundum formulam a S. Sede approbatam, ad normam can. 1406, par. 1, n. 8 C. I. C. et Decreti Supremae S. Congregationis S. Officii d. d. 22 Martii, 1918.

*Art. 42.* Ut quis ad gradus theologicos assequendos admitti possit, requiritur ut omnes scholas, disputationes et exercitationes, prout in art. 34 et 35 enumerantur, rite frequentaverit. Si quis auditor ab iis ita abfuerit, cum vel sine causa, ut omnes absentiae simul sumptae tertiam partem anni adaequent, annus ille numero ad gradum assequendum praescripto non comprehendetur.

*Art. 43.* Ad omnia examina coram subeunda Professoribus et auditoribus liber patet aditus.

*Art. 44.* Examinatores vota sua publice edant. Praevalet sententia maioris examinerum partis ; quodsi vota eorum in duas partes aequales dividuntur, Facultatis Decani sententia praeualebit. In iudicio ultimo de candidatis ad singulos gradus academicos ratio habeatur omnium suffragiorum, quae examinatores in diversis experimentis, sive scripto, sive coram factis, tulerunt. Si candidatus non admittitur, statuitur utrum post tres an post sex menses tantum denuo se examini sistere possit. Quod si candidatus excellens exstitit, in documento authentico verba „cum laude” adjiciuntur.

*Art. 45.* Ad gradum Baccalaureatus nemo admittatur, nisi qui saltem per quinque annos studiis theologicis operam dederit, ita quidem ut ante adeptionem hujus gradus per integrum annum praelectiones ipsius Facultatis theologiae frequentaverit ad normam art. 34 horum Statutorum. Vide etiam art. 39.

*Art. 46.* Periculum doctrinae in ordine ad gradum Baccalaureatus constat examine coram subeundo de omnibus disciplinis durante hoc primo anno traditis.

*Art. 47.* Licentiae gradus nemini conferri potest, nisi qui ad gradum Baccalaureatus promotus saltem per unum annum praelectiones ipsius Sacrae Facultatis theologiae frequentaverit ad normam art. 34 horum Statutorum. Vide etiam art. 39.

*Art. 48.* Periculum doctrinae in ordine ad gradum Licentiae complectitur :

- a.) experimentum scriptum in aliqua schola exercitationum dandum et a Professore ad quem pertinet dijudicandum, ad normam art. 37—38 Ordinationum Constit. Apostol. adnexarum ;
- b.) examen scripto faciendum de aliqua saltem disciplina e principalibus, de quibus in art. 39 Ordinationum Constit. Apostol. adnexarum ;
- c.) examen peculiare de universa theologia (theologia fundamen-



tali, dogmatica, morali speculativa) ad normam art. 38 Ordinationum Constit. Apostol. adnexarum ;

- d.) examen coram subeundum de omnibus disciplinis secundo anno traditis ad normam art. 33, par. 3 Constit. Apostol.

*Art. 49.* Nemo ad gradum Laureae admittatur, nisi qui ad gradum Licentiae promotus, per integrum saltem annum praelectiones Facultatis theologiae frequentaverit ad normam art. 35 horum Statutorum.

*Art. 50.* Periculum doctrinae in ordine ad gradum Laureae complectitur :

- a.) examen coram subeundum de omnibus disciplinis in ultimo studiorum anno traditis ad normam art. 35, a) horum Statutorum.

Professores, qui in hoc examine suffragium ferunt, sint saltem tres.

- b.) dissertationem scientificam examinandam et dijudicandam a tribus Professoribus a Facultate designandis, inter quos semper est eligendus Promotor, i. e. Professor disciplinae ad quam dissertatio pertinet.

Quae dissertatio secundum Statuta Universitatis typis edatur.

- c.) defensionem sollemnem publicam thesium et dissertationis. Professores, qui in publica defensione dissertationis et thesium suffragium ferunt, sint saltem quatuor.

*Art. 51.* Candidatus 145 exemplaria dissertationis exhibeat Universitatis Bibliothecario, qui exemplar dissertationis approbatae ad S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus et ad Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum canonice erectas et approbatas, mittere debet.

*Art. 52.* Theses occasione promotionis sollemnis defendendae sint : a.) quinque tantum ex ipsa dissertatione, b.) quinque saltem ex theologia dogmatica et morali speculativa, c.) quinque saltem ex aliis disciplinis traditis.

Tres hebdomadas ante promotionis tempus theses a Facultate approbatae publici iuris fiant et quidem typis mandatae.

In defendendis thesibus candidatus respondere debet cuique obicienti, ita tamen ut obiectiones inchoet Promotor, tum ceteri Facultatis theologiae Professores prosequantur, deinde Professores aliarum Facultatum aut alii qui adsunt.

## TITULUS VII.

### *De Tributis.*

*Art. 53.* Auditores qui art. 28 enumerantur, solvant, si sunt clerici, quotannis summam 10 florenorum pro legibus. Pro coeteris auditoribus Sacrae Facultatis theologiae valent regulae generales, quae in Statutis Universitatis pro pecuniis solvendis statuuntur.

*Art. 54.* Pro examinibus collective sumptis ad gradum Licentiae et ad gradum Laureae assequendum solvantur 60 floreni. De coetero candidati subjiciuntur regulis generalibus, quae ex Statutis Universitatis pro pecuniis ratione examinis solvendis valent.



# APPENDIX

## ELENCHUS PRAELECTIONUM ET EXERCITATIONUM

### I.

*A. Cyclus omnibus auditoribus primi et secundi anni communis.*

Theologia fundamentalis	1 hora in hebdomada
Theologia dogmatica	3 horae „ „
Theologia moralis	3 „ „ „
S. Scriptura V. T.	2 „ „ „
S. Scriptura N. T.	2 „ „ „
Historia ecclesiastica	2 „ „ „
Patrologia	1 hora „ „
Quaest. theol. ad Orient. max. spectantes	1 „ „ „
Philosophia religionis	1 „ „ „
Historia religionum	1 „ „ „

---

17 horae in hebdomada.

*N.B.*

1. *Introductio methodologica* in laborem scientificum pro omnibus auditoribus *primi anni*: 1 hora in hebdomada per *primum semestre*.

2. *Lingua hebraïca* :

*cursus minor* traditur pro iis qui linguae hebraïcae *non jam studuerunt* : 1 hora in hebdomada per *primum annum*.

*cursus major* traditur pro iis qui linguae hebraicae jam studuerunt et *Sacram Scripturam* ut disciplinam *principaliorem* eligunt : 1 hora in hebdomada.

B. *Cycli speciales primi et secundi anni.* (1)

1. Pro auditoribus qui *theologiam dogmaticam* ut disciplinam *principaliorem* eligunt :

Historia dogmatum *	1 hora in hebdomada
Historia theologiae	1 „ „ „
Quaest. theol. ad Orient. max. spectantes *	1 „ „ „
Archaeologia christiana *	1 „ „ „
Liturgia *	1 „ „ „
Missiologia	1 „ „ „
Disputationes et exercitationes practicae	1 „ „ „
	<hr/>
	5 horae in hebdomada.

2. Pro auditoribus qui *theologiam moralem* ut disciplinam *principaliorem* eligunt :

Sociologia	1 hora in hebdomada
Psychologia empirica	1 „ „ „
Jus Canonicum	1 „ „ „
Jus Canonicum orient. et jus mission. *	1 „ „ „
Theologia ascetica-mystica	1 „ „ „
Disputationes et exercitationes practicae	1 „ „ „
	<hr/>
	5½ horae in hebd.

3. Pro auditoribus qui *Sacram Scripturam* ut disciplinam *principaliorem* eligunt :

(1) Si asteriscus apponitur, praelectiones traduntur per unum annum tantum.

Introductio generalis in S. Script.	1	hora	in	hebdomada
Introductio specialis in Vetus Testam.	1	..	..	..
Introductio specialis in Novum Testam.	1	..	..	..
Lingua Semitica	1	..	..	..
Lingua Graeco-Biblica *	1	..	..	..
Disputationes et exercitationes practicae	1	..	..	..
	<hr/>			
		5½	horae	in hebd.

4. Pro auditoribus qui *historiam ecclesiasticam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Palaeographia et diplomatica	1	hora	in	hebdomada
Quaest. spec. hist. eccl. antiquae (1)	1	..	..	..
Quaest. spec. hist. eccl. med. et mod. (1)	1	..	..	..
Historia missionum	1	..	..	..
Hist. dogm. vel hist. theol. (2) *	1	..	..	..
Archaeologia christiana *	1	..	..	..
	<hr/>			
		5	horae	in hebdomada.

#### *Animadv.*

(1.) Quaestiones speciales hic indicatae complectuntur etiam exercitationes practicas sub ductu professoris historiae eccles. antiquae vel professoris historiae eccles. mediaevalis et modernae.

(2.) Qui magis historiam ecclesiae antiquae fovere volunt, eligant historiam dogmatum.

Qui magis historiam ecclesiae mediaevalis et modernae fovere volunt, eligant historiam theologiae.

5. Pro auditoribus qui *scientiam religionum comparativam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Quaestiones spec. historiae religionum	1	hora	in	hebdomada
Quaestiones spec. philos. religionis	1	..	..	..
Psychologia religionis	1	..	..	..
Missiologia	1	..	..	..
Disputationes et exercitationes practicae	1	..	..	..
	<hr/>			
		5	horae	in hebdomada.

6. Pro auditoribus qui *missiologiam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Missiologia	1 hora in hebdomada
Historia missionum	1 „ „ „
Jus missionarium	1 „ „ „
Historia religionum	1 „ „ „
Disputationes et exercitationes practicae	1 „ „ „
	<hr/>
	5 horae in hebdomada.

## II.

### *Cycli pro auditoribus tertii anni.*

1. Pro auditoribus qui *theologiam dogmaticam* ut doctrinam principaliorem eligunt :

Theologia dogmatica	3 horae in hebdomada
Theologia fundamentalis	1 hora „ „
Quaest. theol. ad Orient. max. spectantes	1 „ „ „
Historia dogmatum	1 „ „ „
Historia theologiae	1 „ „ „
Philosophia religionis	1 „ „ „
Disputationes et exercitationes practicae	1 „ „ „
	<hr/>
	9 horae in hebdomada.

2. Pro auditoribus qui *theologiam moralem* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Theologia moralis	3 horae in hebdomada
Historia mysticae	1 hora „ „
Jus Canonicum	2 horae „ „
Sociologia	1 hora „ „
Psychologia empirica	1 „ „ „
Disputationes et exercitationes practicae	1 „ „ „
	<hr/>
	9 horae in hebdomada.

3. Pro auditoribus qui *Sacram Scripturam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Vetus Testamentum	2	horae	in	hebdomada
Novum Testamentum	2	„	„	„
Lingua Semitica	1	hora	„	„
Quaestiones speciales theologiae biblicae	1	„	„	„
Historia vitae et cultus Israëlitarum	1	„	„	„
Historia religionum	1	„	„	„
Disputationes et exercitationes practicae	1	„	„	„
	<hr/>			
	9	horae	in	hebdomada.

4. Pro auditoribus qui *historiam ecclesiasticam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

A. Pro eis, qui *historiam ecclesiasticam antiquam* fovere volunt :

Historia ecclesiae antiquae	2	horae	in	hebdomada
Historia ecclesiae med. et modernae	1	hora	„	„
Historia ecclesiae in patria	1	„	„	„
Historia dogmatum	1	„	„	„
Quaestiones speciales patrologiae	1	„	„	„
Historia mysticae	1	„	„	„
Historia religionum	1	„	„	„
Disputationes et exercitationes practicae	1	„	„	„
	<hr/>			
	9	horae	in	hebdomada.

B. Pro eis, qui *historiam ecclesiasticam mediaevalem et modernam* fovere volunt :

Historia ecclesiae med. et modernae	2	horae	in	hebdomada
Historia ecclesiae antiquae	1	hora	„	„
Palaeographia et diplomatica	2	horae	„	„
Historia theologiae	1	hora	„	„
Historia ecclesiae in patria	1	„	„	„
Historia mysticae	1	„	„	„
Disputationes et exercitationes practicae	1	„	„	„
	<hr/>			
	9	horae	in	hebdomada.

5. Pro auditoribus qui *scientiam religionum comparativam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Historia religionum	2	horae	in	hebdomada
Philosophia religionis	2	„	„	„
Psychologia religionis	1	hora	„	„
Theologia fundamentalis	1	„	„	„
Missiologia	1	„	„	„
Historia missionum	1	„	„	„
Disputationes et exercitationes practicae	1	„	„	„
	<hr/>			
	9	horae	in	hebdomada.

6. Pro auditoribus qui *missiologiam* ut disciplinam principaliorem eligunt :

Missiologia	2	horae	in	hebdomada
Historia missionum	1	hora	„	„
Jus missionarium	1	„	„	„
Theologia fundamentalis	1	„	„	„
Historia religionum	1	„	„	„
Philosophia religionis	1	„	„	„
Psychologia religionis	1	„	„	„
Disputationes et exercitationes practicae	1	„	„	„
	<hr/>			
	9	horae	in	hebdomada.

§



Prot. N<sup>o</sup>: 1146138/2

Sacra Congregatio de Seminariis et  
de Studiorum Universitatibus haec  
Statuta Facultatis Theologicae in  
Universitate Catholica Noviomagen-  
si, ad praescripta Constitutionis  
Apostolicae: "Deus scientiarum Do-  
minus" accommodata, approbat et  
ut fideliter observentur praescribit.

Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die  
XXIX mensis Junii, in Festo Sanctorum  
Apostolorum Petri et Pauli, anno Dom.  
MCMXXXVIII.

Vidimus & probavimus

J. J. J. XI

Secretarius  
Eusebio Piffini







